

in Italiam transmigratione subsequuta vastitas est. Non solum enim Romani imperij majestas concidit, verum etiam rerum omnium cognitio atq; scientia oblitterata deletaq; fuit. Pessum bonæ literæ cum egregijs moribus iuverunt, & obscura omnia reddita fuere, sublimiq; de loco projecta, ut pro tanta luce & claritate, nox & cæcitas subsequuta fuerit. Hoc prorsus maximè mirum fuit, ut ea etiam quæ sanitatis tutelam, & dolorum ac morborum propulsationem præstabant, & certissimam vitæ custodiam artem medicam oblitterarunt, theriacamq; medicamentorū omnium præstantissimum antidotum adeò depraverunt, ut eius formam & compositionē non agnoscerent, & propterea idem proprias vires non retineret. basis enim ejus Vipera est, quæ olim notissima erat, etiam certis & proprijs ac internis differentijs per aliquod temporis spatium oblivione reiectis, ad aliud, atq; aliud serpentis genus gravissimo cum errore commutaverint, ita ut divinum illud medicamentum amissis proprijs viribus aboluerit, & viperæ virtus incognita jacuerit, nisi Deus Nicolai Leonicensi labore, ac industria virtuteq; sublevasset, atq; in lucem eduxisset, tam viperam, & medicamenta, quam reliquarum rerum cognitionem, quæ huma-

næ